DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO VIRGINIQVE DEIPARÆ ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVII. MARTII,

M. FRANCISCO DES FRANCOIS, Doctore Medico, Præside.

997

An ſemel menſe Temulentiam prouocare, ſanum?

IMMODERATA corpori & animo nocitura totâ vitâ fugienda ſunt. Bibere vt vomas, vomere vt bibas hominis eſt intemperantis & ſalutis ſuæ parùm ſtudioſi. Semel die ſatiari cibo, ſemel hebdomode vti συρμαϊσμῷ, ſemel menſe pergræcari, ſemel anno auertendæ arthritidi ſudores Laconico promouere, nequè ſanitati tuendæ, nequè prorogandæ vitæ conſentaneum. Valetudinis leges ſic naturæ & virtuti contubernales, *ne quid nimis*, μηδὲν εἰκῇ, μηδὲν ὑπερθεῖν. Menſura rerum optima, mediocritas. Labor, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia moderata. His carceribus Aſſumenda, Admouenda, Educenda, Facienda continentur, quibus tota victus ſalubris ratio conſtat. Maxima eorum cura ſuſcipienda, quæ alimentum nobis miniſtrant; ſiuè ſpiritus alant & generent, vt Aër temperamento humidus & calidus: ſiuè ſolidas partes reficiant, vt Cibus è mixtorum & animatorum familiâ depromendus: ſiuè humores reſtituant, vt Potus tàm naturâ quàm arte paratus. Aëris quàm aliorum vſus potior, virium robur à Cibo, à Potu voluptas maior.

COMPARATA Potio ad explendam ſitim frigidi & humidi appetitum, qui ſedem habet in ſuperiore ventriculi orificio. Hoc neruoſum cùm ſit & exquiſitiſſimi ſenſus, partium inanitione & ſiccitate arentium ſuctionem non ſinè moleſtiâ percipit, & ad Potum exoptandum excitatur; qui quidèm & refrigerandi totius corporis, & humidioris ſubſtantiæ reparandæ, & alimenti in ſingulas partes diſtribuendi gratiâ deſtinatus fuit. Bibendi tempus cùm Cibus ſumitur; quantitas ea quæ partium expleat deſiderium; cùm exceſſerit modum cachexiam, cùm parcior fuerit, maraſmum illatura. Conſtat pleroſque & omni Cibo annos multos, & Potu omni caruiſſe, eoque velut præſidio ab hydrope vindicatos. Tàm noxia eſt calidior quàm frigidior Potio: Illa vtentibus carnium effeminationem, neruorum debilitatem, mentis ſtuporem, ſanguinis eruptiones & animi deliquia affert: Hæc cerebro & pectori inimica conuulſionem & tuſſim mouet rigoreſque febriles. Rigentes dè niue, glacie, nitro Potiones calidis infundere viſceribus, non eſt extinguere ſitim, ſed vitam.

PRÆCIPVA Potionum genera Aqua & Vinum, optima & ſaluberrima cùm inuicem temperantur: Illa licet ad alendum inepta, quòd permiſta Cibis velocem humidi pinguis & oleoſi ex calore inflammationem prohibeat, Potu ſuo nos habitiores, viuaciores & fœcundiores efficit, puritate, tenuitate, leuitate, ſtaterâ non explorandâ prædicabilis. Cocta in vite Aqua Vinum eſt, gratiâ & ſucci alibilis bonitate cæteris Potibus anteferendum. Intra mediocritatem ſumptum corpori & animo vtiliſſimum eſt, ἀγαλλίαμα τῆς ψυχῆς καὶ καρδίας. Quamuis calidum & humidum ſit, eius tamèn multis nominibus ratio & delectus habendus; vt aliud iuuenibus & bilioſis, aliud ſenibus & pituitoſis concedatur. Tàm noxium eſt pueris, quàm ijs qui infirmo ſunt capite. Ne album quidèm offerendum febricitantibus, nec ſinè aquâ πολυφόρον ſanis. ὀλιγοφόρον aquâ ſi diluatur non tàm citò cerebrum ferit ac inebriat, quàm purum. Multiſque perſuaſum eſt, calentis Vini Potum ex Calcedoniâ paterâ ſuauiorem eſſe, & Temulentiam ex aureâ citiùs prouocari.

A POTV Vini paſtum exordiri ad Ebrietatem eſt via; quæ temporaria eſt animalium functionum deprauatio ab exhalatione & calore Vini cerebri temperiem corrumpente, nata. Vix incomitata procedit: veniunt comites garrulitas, intempeſtiui riſus, ira, furor, oculorum ſcintillantium rubor & μώλωπες ingluuiei ſoboles. Vt ignis oleo, ſic meracioribus poculis libido accenditur & veneris furiæ; quas venæ ſectio certiùs cohibeat quàm caphura aut mentha. Meracum aut *Ros Solis* vulgò dictus ex Tryginâ, Saccharo & Ambaro paratus non impunè bibitur. Ne famem quidèm θώρηξις tutò ſoluit, aut animo deficientibus auxilio eſt. Nec tàm auertit Ebrietatem Amethyſtus vel Sinarum *Teum*, quàm Aqua dè proximo flumine hauſta, quâ Vina meliùs caſtrantur quàm colo. Quis credat nonnullos eo venire dementiæ, vt Ebrietatem ſemel menſe prouocandam valetudinis gratiâ conſulant? ſiuè aliquid mutandum velint de ſtatâ conſuetudine & nihil non tentandum ac periclitandum; ſiuè putent ad euacuationem corporum & animorum relaxationem valere Temulentiam; ſiuè ſuadeant exonerandum eſſe vomitu ventriculum, & metaſyncriticâ Vini facultate exitum fuliginum, ſudorum & vrinarum procurandum, pudendo vbiquè errore & improbo conſilio.

NE ſemel quidèm committendum quod æternùm cruciet. Quid ſi duodecies in anno, ducenties in vitâ repetatur, quod primâ vice admittendum non fuit? Fœda res eſt κραιπάλη indigna homine ad virtutes & diſciplinas nato, morbi conſectaria, & epilepſiæ cuiuſdam ſimulachrum. Suauitate Vini facilè in conſuetudinem venit. Tunc vt lana imbibitum ſemel colorem, ſic pars quâ maximè homines ſumus flore Liberi inſuccata aſſumptum ægrè deponit vitium. Labe acceptâ aut Mens labat, aut tremunt Artus, aut Lingua balbutit, aut excrementis madet Cerebrum, aut cruditate Viſcera laborant, aut totum Corpus ſuo pondere magis quàm vitâ regitur. Cæterùm à ſecurâ & ſalubri viâ ad periculoſum diuerticulum non eſt deflectendum. Non aſſurgit animus ad ſapientiam & lætitiam acceſſione dementiæ & furoris. Quòd plura ventri quàm capiat dederis, æquum eſt vt vomas, aut plenitudine ac diſtentione ægrotes. Quod effluit per vrinas & ſudores, dolentis & ſub onere gementis Naturæ lachrymatio eſt. Quod reſtat in venis & arteriis, quod moratur in viſceribus, quod cerebrum inuolat & inebriat, quod totum circumfluit, niſi nunc Mentem & Corpus concutiat, proximis menſibus repetitâ Ebrietate auctum & exaſperatum, ſanitatem Corporis & Animi integritatem peſſundabit.

Ergo ſemel menſe Temulentiam prouocare, non ſanum.



Proponebat Lutetiæ PETRVS PERREAV Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. L.